



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Ubi, sive coram quo Iudice, Ecclesiastico, an Seculari, Clericus
convenire possit, vel debeat Laicum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

mandare, ut sententiam in causa appellationis contra subditum illius latam, exequatur, vel subditum suum compellat, ad ferendum in causa appellationis testimonium; *juxta Gloss. hic V. suscipere.*

SECTIO IV.

De foro competente Laicorum conventorum à Clericis, & quando Laicus conveniri possit apud Judicem Ecclesiasticum?

§. I.

Ubi, sive coram quo Judice Ecclesiastico, an Seculari, Clericus conveniri possit, vel debeat Laicum?

EX regula quadam generali actor forum rei sequi debet, & consequenter actor Clericus reum Laicum coram seculari Magistratu convenire deberet; sicuti tamen consuetudo peculiarium Regionum hac in re varia est, ita possunt etiam jura contra communem regulam decidere aliquid. Et hinc *juxta c. si Clericus s. h. t.* primò, si Clericus contra Laicum agit, petendo ab eo rem, de qua constat, quòd Ecclesie sit, aut Clerico propria, vel quando Laicus non negat, rem peritam Ecclesie, aut Clerici esse, adiri debet Judex Ecclesiasticus, eò quòd in tali casu videatur sacrilegium in detentione intervenire, de quo judicat Ecclesiasticus; si verò Laicus negat, rem, quæ petitur Ecclesie aut Clerici propriam esse, vel satis constet, nec Ecclesie, nec Clerici propriam hanc rem esse, vel saltem dubium sit, num sit Ecclesie aut

Clerici propria, Clerico actore affirmat, Reo tamen Laico negante, coram judice seculari causa talis cognosci debet (ob communem regulam, quòd actor forum rei sequi debeat) modò Laicus conventus fortassis apud Ecclesiasticum judicem à Clerico asserente, rem hanc Ecclesie aut propriam esse, protestetur coram eo, si neget, rem hanc, Ecclesie esse, quòd per hanc negationem, neque laici contestati, neque in illius jurisdictionem consentire velit, ne prorogare in jurisdictionem Ecclesiastici judicis videatur: nunquam tamen si causæ principali adhæreat aliqua qualitas, quæ hinc dras possit Ecclesiasticam, etiam si reus conventus eam neget, mixti fori tamen censebitur causa talis, ut etiam coram Ecclesiastico negans reus conventus possit.

§. II.

In quibus præterea casibus Laicus conveniri possit coram Judice Ecclesiastico, sive à Clericis, sive etiam à Laicis?

Regulariter quidem Laicus coram Laico Magistratu conveniri debet in causa Civili, si tamen judex Laicus desit officio suo in administranda justitia, potest reus Laicus ab actore, sive Clericus hic sit, sive Laicus, trahi ad judicem Ecclesiasticum, etiam si causa metè Civilis sit *C. Licet. 10. & c. Ex terrore 11. h. t.* (sicuti enim justitia negligenda non est) quin imò viduæ, pupilli, orphani, & alii ejusmodi miserabiles personæ, si opprimantur, aut possessione suâ spoliarentur, possunt statim & immediate Laicum